

4348 1730, 30 M 31
DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,

DE
**JVRE MERCATORVM
SINGVLARI,**

QVAM,
DEO AVSPICE
AVTORITATE ET CONSENSV
CELEBERR. IN INCLYTA ERFORDIENSI ACADEMIA
JCTORVM ORDINIS,
SVB PRÆSIDIO

DN. ERNESTI TENZELII, JC_{TI},

EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIP. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
JVDICII PROVINC. AC FACVLT. JVRID. ASSESS., EVSDEMQUE H. T. DECANI,
NEC NON CIVITATIS CONSULIS PRIMARI,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI ÆTERNVM
DEVENERANDI,

PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME
CONSEQVENDI,

PVBLICO ERFDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,

JOH. ZACHARIAS HARTVNG,
Erfurt.

IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.
DIE XXV. AVGUSTI ANNI M DCC XXX.

ERFORDIAE, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

DIESELBE IN VAGELIAE LIBRIOCE

DE

VARIE MERCATORVM SINGULATIM

DE

DEO VINCERE

AUTORITATE ET CONSENSA

CIVITATIS ET MUNICIPALITATIS VENDEMANI

ICTORVM CREDIBVS

ZT 14121520

IN ERINNERN DIBETII ICTL

1700 10 10 1700

TATVACAT A ROMANTORVM ENI TATVAM

DEBAGNARDI

PRO PEGNITY

SAMMOS IN LIBROGAE IAVE HONORES ET

PERIALVEI DOGIORUM ILLUMINUM

COXZDZANDB

1700 10 10 1700

JOH. AVGHARRIAS HARVANG.

EGERT

1700 10 10 1700

MEA NEA SNO DE A MAM H DE ZY

BRASSICAE, THEATRON CLOSTRORVM HERKOMF NORD 1700



CONSPECVT DISSERTATIONIS.

- §. I. Quid sit jus singulare, & quomodo à privilegio differat.
- §. II. Quinam sub appellatio-
tione mercatorum com-
prehendantur.
- §. III. De origine mercaturae
& commerciorum in Ger-
mania.
- §. IV. De moralitate merca-
ture.
- §. V. De favore mercaturae
in genere, & juribus sin-
gularibus intuitu ejus-
dem constitutis.
- §. VI. Et quidem ratione per-
sonarum. Filii famili. ne-
- gotiantes eo ipso à Patria
Potestate liberantur.
- §. VII. Mercatoribus ad nun-
dinas ituris, conductus
præstari debet.
- §. VIII. Ipsorum personæ ob
debitum privatum tem-
pore nundinarum non
possunt arrestari.
- §. IX. Quod & locum habet,
intuitu euntium ad nun-
dinas & inde redeun-
tium.
- §. X. Plura ab aliis eò relata,
quæ tamen buc proprie
non pertinent.

X 2

§. XII.

-
- §. XI. Exponuntur ea, quæ
 jure singulari quoad res
 mercatorum constituta,
 nec non
- §. XII. Quoad conventiones
 eorum in genere, & in
 specie
- §. XIII. Quoad contractum
 mutui.
- §. XIV. Quoad commodatum,
 depositum & pignus.
- §. XV. Quoad except. Non
 Num. Pecun.
- §. XVI. Nec non Emitionem
 Vendit.
- §. XVII. Et reliquos contra-
 eius consensuales.
- §. XVIII. Nec minus quoad
 fidejussiones, &
- §. XIX. Cambia &c.
- §. XX. De Juribus foemina-
 rum mercatricium in spe-
 cie.
- §. XXI. XXII. De juribus
 singularibus ratione ju-
 dicatorum & processus.
- §. XXIII. Conclusio.





§. I.

Jus singulare, quod alias *jus proprium* quoque vocatur à CAJO in l. 2. ff. de testam. milit. optimè definit PAV-
LVS in l. 16. ff. de Legib. *jus singula-*
re, inquiens, est, quod contra tenorem
rationis generalis propter aliquam uti-
litatem, auctoritate constituentium est
introductum. Unde patet, opponi hoc *juri communi*,
quod generaliter & in universum observatur, atque ad
omnes subditos pertinet. Sicut ergo *jus* *com-*
mune regule vicem obtinet: ita *jus singulare exceptio-*
nis instar se habet, totiesque constitui solet, quoties uti-
litas publica, cui leges positivæ merito attemperan-
tur, ne in supremam illam legem peccetur, exigere vi-
detur, ut à juris generalis tenore intuitu quarundam
causarum aut personarum paulisper recedatur, quem-
admodum exemplo eorum, quæ in favorem mino-
rum, militum, mulierum, mercatorum, dotis, liberta-
tis &c. sancta sunt, facile intelligi potest. Quamvis
vero ejusmodi *jus singulare* ad *privilegii similitudinem*

A

qua-

quadanterus accedit, ac proin s^epe etiam privilegii nomine veniat, quemadmodum e. g. in l. 40. ff. de administr. & peric. tut. nec non in l. 24. ff. de testament. milit. privilegii militum, & in l. 42. ff. de adm. & per. tut. privilegii pupillorum, ac denique in l. 6. §. 1. ff. de jure fisc. privilegii fisco competentis mentio fit: attamen utriusque indolem curatius expendenti patebit, maximopere ea inter se differre, prout jam utut subobscure, indicavit STRAVCHIVS in Differt. ad Jus Justinian. Diff. I. §. 8. & in Diff. de. Statut. à summo Princ. §. 28. plenius vero ac dilucidius exposuit Dn. BOEHMER. in Jur. Publ. Univers. P. Spec. L. 2. c. 3. §. 57. Nimurum privilegium propriæ vocatur, quando certo cuidam individuo, certæque personæ vel physicæ vel morali aliquid indulgetur: cum è contrario jus singulare integrum personarum in Republ. ordinem, vel peculiares quasdam causas respi- ciat, atque adeo per cives universos se quodammodo diffundat, nec tam facile æmulationes inter subditos producat. Accedit, quod privilegium per preces demum peculiariter impetrari debeat; jus singulare ve- ro jam tum in Legibus contineatur, quamobrem etiam privilegium in corpore juris clausum vocatur à MYLE- RO de Principib. & Stat. Imp. P. 2. c. 49. §. 9. itemque privilegium legale ab HERTIO de Transit. Privileg. personal. ad alios §. 1. Add. LVDOVICI Comp. ff. Tit. de Con- stit. Princip. §. 1.

§. II. 103. Mercatorum in urbibus

Mercatorum appellatione heic contineri existima- mus illos, qui merces questus liciti faciendi gratia fre- quenter ac proprio nomine permutant vel evanis eo fine, ut eas-

easdem aut minutatim ad ulnam, pondus & mensuram, aut non minutatim nec mutata forma iterum distrahabant. Ex qua descriptione varia consectaria fluunt, scilicet 1) Mercatorem circa res mobiles emendas vendendasque potissimum versari. Mercis enim appellatio ad res mobiles tantum pertinet, l. 66. ff. de V. S. quamvis non omnis res mobilis propterea merx sit. vid. GOEDD. ad c. l. 66. 2) Pro Mercatoribus vix ac ne vix quidem haberi posse monopolas, propolas, omnesque illos, qui in honesto ac turpi quæstui operam dant, utpote qui odio magis quam favore dignisunt. 3) Neque illos inter Mercatores referri debere, qui semel forte merces quasdam emerunt & unico solum actu mercaturam exercuerunt. Nomina quippe verba officium aliquod significantia assiduitatem requirunt, nec uno actu, ut ajunt, verificantur. M E V. ad Jus Lubec. P. 3. tit. 6. a. 21. n. 16. 17. 4) Institores, seu Factores, cum non proprio, sed præponentis domini nomine negotientur, à tractatione nostra alienos esse, nec Mercatorum juribus frui. MARQVARDO. de jure Mercat. L. 1. c. 1. n. 57. seqq. & c. 8. n. 50. 5) Non sufficere, ut quis nomine solum mercatoris utatur, aut etiam artem mercandi calleat; sed, ut re ipsa per se vel per alium exerceat. M E V. c. l. n. 14. 15. 6) Haud quaquam è mercantium censu eliminari posse illos, qui merces minutatim seu ut Galili loquuntur, en detail, vendunt. Quamvis enim securus videatur MARQVARDO. c. Tr. c. 1. n. 41. seq. ejusque sententia forte in magnis emporiis recepta sit, attamen in nostris oris, praesertim hodie, non solum eos, qui merces in maxima quantitate comparant, ac per aversionem

tursus seu in copia, *en gros*, distrahunt, verum & qui minutatim vendunt, mercatorum nomine insigniri usus comprobatur. vid. KLEIN. de Probat. quae sit per libr. Mercat. c. 1. n. 90. seqq. Add. Jus Lubec. P. 3. r. 1. a. 21. 7) Mercatorum iuribus haudquam gaudere, qui rem comparant, non ut ipsam rem integrum & immutatum vendant sed ut materia sit inde aliquid operandi. Qui autem comparat rem, ut illam ipsam integrum & immutatum dando lucretur, ille est mercator, prout diserte habetur in c. II. dist. 88. Namvero priores arrifices seu opifices magis vocantur & huc non spectant. vid. M E V. c. l. n. 18. MARQVARD. c. Tr. c. 1. n. 47. seqq. ubi tamen n. 54. recte monet, Mercatorum nomen & iura iis denegari non posse, qui merces emunt, easdemque non sua, sed aliena elaborari curant opera, animo quæstus liciti faciendi, easdemque ad extraneos forte transmitendi, cum hortum officium in artificium non transeat. Quoniam vero usu plurium locorum invalidit, ut mercatores sua habeant collegia, suasque matriculas, quibus nomina negotiantium inseruntur: consequens est neminiem, ubi talis consuetudo viget, jure mercatoris censeri posse, nisi in tale collegium receptus, nomenque ejus in matricula descriptum fuerit, qua de re vide sis M E V I V M ad J. Lubec. c. l. n. 6. seqq. Tandem silentio praeterendum non est, nec foeminas, jam recensitis qualitatibus præditas, ab immunitatibus ac iuribus mercantium excludi, quarum intuitu multa singularia introducta sunt, prout ex intra dicendis clarius apparet.

§ A

§. III.

Quando vero Germani mercaturam facere coepint, certo determinati vix potest. Planè de antiquissimis Germaniæ incolis sufficienter constat, nullum penè inter illos commerciorum usum fuisse. De Nerviis populo Cis-Rhenano, CÆSAR de Bello Gall. L. 2. c. 15. testatur, nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium, inferri: quod his rebus relangescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent: esse homines feros, magnæque virtutis. De Suevis IDEM L. 4. c. 2. literis prodidit: Mercatoribus esse ad eos aditum eo magis, ut que bello ceperint, quibus vendunt, habeant, quam, quo ullam rem ad se importari desiderent. Paulo post addit: Vinum ad se omnina importari non sunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur. Quibus gemina tradit TACITVS de Morib. Germ. c. 17. ubi: Gerunt & ferrarum pelles, proximi ripa negligenter, ulteriores exquisitus, ut quibus nullus per commercia cultus. Hoc tamen negari nequit, ex illis Germaniæ populis, qui Romanis cis Rhenum paruerunt, plures quoque mercaturam exercuisse, quorum mores postea alii, qui prope Rhenum, in Germania magna, suas habuerunt sedes, imitati sunt. Sane de Ubis memorat CÆSAR c.l. L. 4. c. 3. quod sint pauci careris Germaniæ humaniores, propterea quod Rhenum attingant, multique ad eos mercatores venirent, & ipsi proprie propinquitatem Gallicis sint moribus adsumfacti. Et TACITVS de M.G. c. 3. in genere de Germanis refert: proximos ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habere. Inter reliquos vero, qui interiores Germaniæ

magnæ partes inhabitarunt, commerciorum aliquem usum fuisse non liquet, donec forte Venedi primi mercaturam colere inciperent. Hi enim postea quam circa Seculum Christianum VI. quicquid est inter Salam & Vistulam fluvios, nec non mare Sueicum vel Balticum occupassent, urbes & castella extruxere, snaque ad Balticum mare emporia habuere; quale etiam, testibus Annalibus Francicis, fuit Rerich nobile illud emporium, quod circa A. DCCCIX. à Danis destrutum est, translatis inde negotiatoribus; nec non Winternetha, Usedomi insulæ urbs, quæ inter alia frequentia quoque commerciorum maxime floruisse perhibetur. *Conf. CONRING. de Urbib. Germ. l. 29.* Postquam vero Henricus I. Autceps struendis urbibus majorem operam dedit, commerciorum etiam usus crevisse videtur, unde Seculo XI. varia jam emporia memorantur, & Seculo XII. mercaturæ reique nauticæ usus nova incrementa cepit, accedente in primis hæcum ad Scioniam celebri & opulenta pescatione. *vid. CONRING. c. l. §. 78-93.* In quantum porro Seculo XIII. commercia aucta fuit; illustrè illud civitatum Hanseaticarum ab Hansa, i. e. Societate (unde hanseare & hænseln i. e. in societatem admittere) appellatrum institutum comprobat. Celebratissimi namque foederis, inter has civitates, quarum caput Lübecka fuit, circa A. MCCXLIX. vel ut alii malunt, A. MCLIX. initi, primarius finis fuit commerciorum securitas. *Comp. omnino PFEFFINGER. ad Virriar. T. II. p. 828. seqq.* Quamvis autem hujus societatis splendor valde immunitus, ac parum spei reliquum sit, veterem ejus dignitatem ac potentiā

tiam

tiam restitutum iri: non tamen in Germania hodie-
num deesse Urbes mercatura & divitiis florentissimas
plus quam manifestum est.

§. IV.

Quid autem de moralitate mercaturæ sentiendum
sit, & an illa juri naturali converiat, paucis nunc eo
magis investigandum erit, quo vehementius isthoc vi-
tæ genus à quibusdam improbari suevit. Certe si
CHRYSOSTOMVM audiamus, relatum in c. II. dist. 88.
homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere, &
ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit
esse, præficiatur de ecclesia DEI, dicente Prophetæ: *Quia non*
eognovi negotiationes, introibo in potentias Domini - - -
qui enim emit & vendit, sine mendacio & perjurio esse non
poteſt &c. A qua sententia non multum ab ludere vi-
detur PAVLVS JCtus in l. 44. §. I. ff. de Ædilit. Edict.
ubi venaliciarios ad lucrum porius vel turpiter faciendum
proniores esse asserit. Add. l. 6. C. de Dignit. l. 12. §. 3. C.
de cohortalib. lib. XII. Et quis est, quem fugiat, quanta
vitia à pluribus exprobrari soleant iis, qui mercaturam
tractant, quod scil. sint impostores, quod vetitas artes
invehant, quod monetam stuprent, & sexcenta alia.
Comp. GOTHOFRED. ad c. l. 44. lit. b. AGRIPPA de Va-
nitat. scient. c. 72. Quibus omnibus tamen nondum
adducimur ut credamus, nefas esse in mercatura verti,
modo lucrum honestum & moderatum, quod juxta §. 2.
præsupponimus, illa queratur. Quamvis enim nego-
tiatores carius vendant mērces suas, quam ipsi eas eme-
runt: hoc ipsum tamen nihil in se habet vitii, cum in de-
finiendo pretio factarum expensarum & laborum ra-
tio

tio non inique habeatur, GROT. de J. B. & P. l. 2. c.
 12. §. 14. n. 2. ac præterea a mercantibus etiam æstima-
 ri optimo jure queat, quod ipsi tempus, cogitationes
 & curas occupant in mercibus conquirendis, servandis
 aut distrahendis, nec non quod famulorum operas
 conducere necessum habeant. Conf. PVFENDORF. de
 J. Nat. & Gent. l. 5. c. 1. §. 10. VITRIAR. Inst. Jur.
 Nat. l. 2. c. 12. qu. 22. p. 230. Unde HERMOGENIANVS
 commerciorum originem recte ad Jus Gentium refert.
 l. 5. ff. de J. & J. & per id nihil aliud, quam faculta-
 tem jure Naturali concessam, intelligit. Nec obstant,
 quæ superioris in contrarium allata sunt. Præterquam
 enim, quod citatus canon II. expresse Palea appellatur,
 & ex opere imperfecto & non probato desumus
 fit, CHRYSOSTOMO opponimus AVGVSTINVM, ad
 Psalm. LXX. apposite scribentem: sed ait ipse mercator:
 affero ex longinquó merces: mercedem laboris mei, unde vi-
 vam, peto: dignus ēst enim mercenarius mercede sua &c.
 Ad haec tralatitium ēst, virtia hominum non esse impu-
 tanda ipsis artibus, quæ ab istis tractantur, & abusum
 rei legitimū eius usum haud quam tollere, cum
 ceteroquin ipsa Jurisprudentia, eo quod multi JCro-
 rum, juxta vulgatum illud, pessimi Christiani sint, eli-
 minanda atque damnanda foret. Neque vero licita
 solum, sed & utilis imo necessaria mercatura dicenda
 est; hinc summæ prudentiae & auctoritatis apud
 Græcos Plato, cum institueret, quemadmodum civitas
 bene beateqne habitari possit, in primis negotiatores
 necessarios duxit, juxta l. 2. ff. de Nandin. Nam cum
 non omnis ferat omnia tellus; favore ac laude dignis-
 simi

simi sunt mercatores, qui, quæ nobis superflua sunt, ad alios evehunt, ea vero, quibus nos indigemus, important, & ita, sæpe non sine vitæ discrimine, efficiunt, ut in unica aliqua civitate totius mundi opes velut venales existant. Unde etiam ~~ALDVS~~ societatem humanaam sine mercaturæ commoditate subsistere vi posse, non absone existimavit, observante MARQVARDO de

Jur. Merc. L. 1. c. 2. n. 53.

§. V.

Quæ cum ita sint, non adeo mirandum est, quod in favorem mercaturæ & mercatorum multa singulæria in plerisque locis, ubi commercia vigent, constituta deprehendantur. Evidem extra aleas, ut ajunt, vagarer, si in præsentia copiose exponere sustinerem, quibus immunitatibus ac beneficiis mercatores ad ea, quæ noviter condita sunt, emporia hinc & illinc invitaverint civitatum Rectores. Quin potius intra Germaniæ me fines continebo, juraque potiora, quæ singulari ratione inter Mercatores ut plurimum observantur, illustrabo. Sunt vero illa ex partitione SCHWENDÖRFERI in *Diss. de Privil. Mercat. c. 4. §. 1.* quadruplicis generis; vel enim 1) personas mercatorum, vel 2) eorum res sive merces, vel 3) obligationes atque conventiones, vel denique 4) modum in judicio procedendi inter mercantes usitatum respiciunt, de quibus singulis ex instituti ratione breviter agemus.

§. VI.

Quod igitur ad personas Mercatorum attinet, peculiariter ac negotiantibus proprio jure invaluit, ut filii familias consensu patris mercaturam exercentes, hoc ipse

B

ipso à Patria potestate, saltim quoad istam negotiatio-
nem liberentur. Quanquam enim STRYK. in U. M.
ff. Tit. de Tributor. A&T. §. 1. in f. hoc assertum, nisi simul
separatio quoad cœconomiam acceſſerit, in dubium vo-
cet, neque illud argumento l. 1. C. de Patr. Poteſt. ad
quod nonnulli provocant, stabiliri satis atque confir-
mari queat: quo minus tamen nos sententiam addu-
ctam deseramus, prohibet partim favor singularis mer-
caturæ, & ut tanto securitis cum tali fit in patris do-
mo adhuc commorante, ejusque victu fruente nec ta-
men expresse emancipato contrahi possit, partim ad-
ſensus ac testimonium tot JCtorum in jure patrio ver-
ſatissimorum, quos inter HEIGIVM ad §. præterea J.
quib. mod. ius p. p. ſolv. n. 16. p. 67. HAHNIVM ad Wesen-
becc. l. 15. r. 1. n. 4. SCHVLZIVM in Synopſ. Init. ad Tit. quod
cum eo qui in alien. pot. lit. c. LAVTERB. in Comp. ff. de
Trib. a&t. p. 246. in f. E de SCto Maced. p. 249. HERTIVM
de Collis. Leg. ſed. 4. §. 5. BARTHIVM in Hodeg. Forens. c.
4. §. 9. lit. c. nominasse ſufficiat.

§. VII.

Idem mercaturæ favor effecit, ut mercatorum ad
nundinas proficiscentium securitati peculiariter fuerit
prospectum, ita, ut iis rite potentibus conductum ab
eo, cuius territorium tranſire cupiunt, vel cui alias in il-
lo territorio ius conduendi competit, is non modo
denegari non posſit, sed & conductu impetrato, iidem
ab omni damno atque injuria securi reddi, ac si for-
teat aliquod detrimentum in itinere paſſi ſint, hoc à
Domino territorii, vel qui ius conduendi habet, reſar-
ciri debeat. vid. R. A. 1555. §. Nachdem aber 87. R. A.
1559.

1559. §. Damit dann die Obrigkeit. 34. add. S. Land-
Recht L. 2. art. 27. GAIL. l. 2. obs. 64. n. 1. ubi ita contra
Episcopum Herbipolensem judicatum in Camera fuisse memo-
rat. Jung. P. FRIDERVS de Mandat. L. 2. c. 57. n. 2. ubi
Mandatum pœnale sine clausula decretum fuisse refert contra
Ducem Wirtembergensem, vi cuius civibus Eslingenibus &
merces quas denegata securitate sub diis & pluvia relinquere
coacti erant, restituere, & iis in posterum ad nundinas Fran-
cofurtenses ituris salvum conductum præstare jussus est. E-
iusmodi conductus vero vel literis solum præstatur,
quas Geleits-Briefe vocant, vel adjunctis equitibus, Ge-
leits-Reuter, & hic in specie das persönliche oder leben-
dige Geleit dicitur, traduntque Dd. posteriorem hunc
conductum plerumque à mercatoribus peti & concedi,
die Kauf-Leute werden in denen Messen gemeinlich
mit lebendigen Geleit durch die Geleits-Gebiethe ge-
führt, testa FRITSCHIO de Regali Nundin. Jur. c. 6. n. 35.
Exempli loco esse poterit conductus mercatoribus No-
rimbergensis ad nundinas Lipsientes ituris præstari
solitus das Nürnberg Geleit, de quo vid. WILDVO-
GELII Diff. de conductore Mercatorio s. 2. th. 17. & 18. De
ccetero ea, quam modo memoravimus, securitas non
christianis solum mercatoribus, sed & Judæis præstan-
da est, quamvis hi in ditionibus ac provinciis, ubi nun-
dinæ habentur, vel per quas ad nundinas se conferunt,
alias non tolerentur, arg. N. A. 1551. §. Dieseim zu begeg-
nen. 79. ubi: Doch sollen den Juden die aufrichtige
Handthierungen und Commercien in den offenen frey-
en Messen und Jahrmarkten hiermit unbenommen
seyn, v. SCHWEDER. Jus Publ. P. spec. s. 1. c. 17. §. 14.

Ex diverso hanc obligationem ad procurandam negotiationibus securitatem cessare, si ipsi à publica & regia via deflestantes, insolitam eligant, vel conductores, quos secum habuerunt, deserant, vel denique vis latronum tanta sit, ut eidem vix resisti queat, in propositulo est. vid. FRITSCHIUM c. l. n. 45. 46. WILDVOGEL c. l.

§. VIII.

Præter laudatum securitatis beneficium, quod mercatoribus ad nundinas iter facientibus datum est, in ipsis nundinis solemibus scilicet & ab Imperatore privilegiatis hoc singulari jure gaudent, quod iis durantibus prætextu debiti privati nec arresto detineri nec alias ulla ex ratione gravari queant. Conf. omnino l. Un. C. de Nund. Nov. 52. c. 1. adeo, ut nequidem repressaliæ, quippe quibus illi non subjacent, quoad personas eorum locum habeant, p. ERIDERVS de Mund. L. 1. c. 49. n. 18. p. 203. Quo jure non nisi negotiatores uti, reliquos vero cives & incolas, qui inter nundinatores non veniunt, ab eodem exclusos esse existimamus cum SCHILTERO Exerc. ad ff. VII. §. 30. CARPOV. P. 1. c. 30. d. 24. PFEFFINGERO in not. ad Vitriar. T. III. p. 194. FRITSCHIO de Regal. Nund. jur. c. 7. n. 11. & aliis. Horum quippe intuitu cessat juris hujus singularis mercatoribus indulti ratio, quæ in commerciorum libertate, & ne illa turbentur aut impediantur, consistit; ac præterea tempore nundinarum plenum justitium regulariter non est. Dissentit quidem BRVNNEMANNVS in Proc. Civ. c. 6. n. 25. eumque saltem quod ad jus commune extra Saxoniam attinet, secutus STRYK. in U. M. ff. Tit. de Fer. §. 13. eo, quod l. un. C. de Nundin. generaliter

ter loquatur de concurrentibus in nundinis, & ne his molestia inferatur, præcipiat, dein, quin mercimoniorum cursus emtores non minus quam venditores requirat. At hæ rationes rem nondum conficiunt, partim quod ex ipso. textu allegato evidentissime appareat, de negotiatoribus concurrentibus ibi sermonem esse, ut, pote quorum in antecedentibus expressa mentio injicitur, partim quod emtores in nundinis concurrentes æque sint, saltem ut plurimum, mercatores, quos cum illis, qui merces suas venum exponunt, pari jure frui par est. Quemadmodum vero isthoc mercantibus concessum beneficium in d. l. un. disertè ad privata ac civilia debita restringitur: ita ultro sequitur deficere illud 1) intuitu debitorum publicorum, quo etiam referunt debitum epularum nundinalium, quarum l. 69. ff. pro soc. meminit. Conf. SCHILTER c. l. §. 29. Sed nec 2) illi locus est, si mercator eidem expressè ac specialiter renuntiaverit. arg. l. 41. ff. de Minorib. & l. pen. C. de Pacz. CARPZOV. P. 1. c. 30. d. 27. An vero renuntiatio facta esse censeatur, si debitum juratum sit, i. e. si mercator mediante juramento promiserit, se Creditori satisfactum, non adeo expeditum videtur. Sunt qui ajunt & jurato se obligantem omnibus exceptionibus, ac proin beneficio quoque nundinarum, renuntiasse, vid. allegati à FRITSCHIO c. Tr. c. 7. n. 40. 48. MEVIUS de Arrestis c. 11. n. 16. SCHILTERVSC. Ex. 7. §. 31. At cum renuntiatione fuit juris strictissimi, nec facile præsumantur, nobis hæc sententia non immerito displiceret cum FRITSCHIO c. l. 49 - 62. STRUVIO in Synt. Jur. Civ. Ex. 50. §. 82. CARPZOVIO P. 1. c. 30. d. 27. n. 78.

Rectius vero 3) nundinarum hoc beneficium denegatur mercatoribus fugitivis, aut de fuga vel fraudulenta bonorum dissipacione suspectis, cum malitiis haud quam jura indulgeant, nec decipientibus succurrant, permittantve, ut quis ex improbitate sua lucrum aliquod aut beneficium consequatur. vid. PFEFFINGER ad Viriar. T. III. p. 196. lit. b. SCHILTER. c. Ex. §. 30. FRITSCH c. l. n. 30. seqq. STRYK. U. M. ff. Tit. de Nundin. §. 6. quicquid dissentiat CARPZ. c. c. 30. n. 5. seqq. eumque probans Dn. BRVNNQ VELL. in Diff. de Processu Arrest. ad effect. sif. §. 45. Denique 4) laudatum hoc nundinarum privilegium exulat intuitu debitorum in ipsis nundinis contractorum, quod prolixius tuetur PFEFFINGER c. l. p. 195. lit. b. STRYK. c. l. §. 5. aliisque allegari à FRITSCH. c. l. n. 21. qui tamen ipse n. 22. seqq. contrarium sustinet, cum LAVTERB. in Comp. ff. p. 742. SCHWEDERO in J. Publ. Spec. S. 1. c. 17. §. 14. inf.

§. IX.

Proximum est, ut inquiramus, quoisque hæc mercatoribus concessa immunitas duret, & num ea etiam ad negotiatores ad nundinas euntes & inde iterum redeuntes extendenda sit? Evidem non diffiteor, plerosque Dd. jus hoc singulare ad tempus & locum nundinarum, præcisè restringere, atque ideo arbitrari, non diutius durare privilegia nundinarum, quam ipsas nundinas mercatores quoque in locis, per quos ad eas transiunt, vel, iis finitis, redeunt, ob debitum qualecunque etiam privatum ac civile optimo jure, cæteris paribus, posse arrestari. vid. STRYK. c. l. §. 7. CARPZOV. P. I. c. 30. d. 25. SCHWEDE. c. l. §. 15. inf. STRUV. Ex. §. 50. §. 82.

§. 82. MEVIVS de Arrestis c. II. n. 18. PFEFFINGER. ad
 Virr. T. III. p. 196. lit. a. Quo minus autem huic nos
 sententiae subscribamus, prohibent primum expressa
 verba Diplomatum Imperialium, quibus ejusmodi pri-
 vilegia nundinarum concedi consueverunt: Sic. e. g.
 in Privilegio, quod Imperator Fridericus II. civitati
 Francofurtensi ad Moenum largitus est apud LIMNÆVM
 in Jur. Publ. L. 7. c. 16. n. 24. sequentia occurunt: *Quod*
nos universos & singulos ad nundinas ad Franckenfurt ve-
nientes sub nostra & Imperii protectione recipimus speciali,
mandantes, quatenus nullus sit, qui eos in eundo & redeundo
ab eisdem nundinis molestare in aliquo vel impeditre presu-
mat. In Diplomate ratione nundinarum Lipsiensium
 à Maximil. I. Anno 1497. indulto hac verba legantur:
 Dass alle und iegliche Personen, so die vorgemeldten
 Jahrmarkte mit ihren Kauffmanschafften, Haaben,
 Gütern, besuchen, darzu und davon ziehen, sich dersel-
 ben Jahrmarkte Gnaden und Freyheiten - ungehin-
 dert gebrauchen sollen. v. PHILIPPI Uf. Præd. Instit. L.
 I. eccl. 20. p. 56. 57. Quibus gemina habentur in Privi-
 legio, quod idem Maximil. I. Senatui populoque Brun-
 suicensi impertivit anno 1505. ap. PFEFFING. ad Vi-
 triar. T. III. p. 185. quæ verba sane effectu suo destitui
 non debent. Accedit, quod plures Juris Publici Do-
 ctores in eo potissimum differentiam nundinarum Im-
 perialium à Statuum nundinis collocent, quod illarum
 jura ac privilegia totius Imperii, harum vero territorii
 finibus conclusa sint. COCCÉJVS in Jur. Publ. Prud. c.
 23. §. 10. p. 406. Ut enim mercatores ad nundinas sta-
 tuum accedentes per integrum imperium immunitate
 ac

ac privilegiis gaudeant, Dominus Territorialis efficere non potest. STR YK. Us. Mod. ff. de Nund. §. 2. inf. quod discriminem tamen prorsus inane esset, si supra exposita nundinarum privilegia ad tempus & locum simpliciter adstricta essent, ubi illæ celebrantur. Tandem cum jus eundi & redeundi merito ut nundinarum antecedens & consequens necessarium heic considerari debeat; non absone quod de ipsis nundinis dispositum est, ad illud porrigitur, ne metu arrestorum negotiaturi ab itinere absterreantur. HERT. de superior. Territ. §. 21. in Opp. p. 241. Unde jura illa, qua juxta §. præt. mercantibus intuitu nundinarum singulariter concessa sunt, iis etiam in itinere prodeesse censemus, cum COCCEJOC. I. HERTIO c. l. MARQVARDO de jure Mercat. l. I. c. 13. n. 48. MYLERO de statibus Imper. c. 58.

§. X.

Plura quidem ab aliis adhuc recensentur privilegia personis mercatorum specialiter indulta, veluti quod immunitatem à muneribus publicis nec non à Vectigalibus habeant. l. 5. §. 3. ff. de Jure immunit. l. Un. C. de Nandin. quod illi, qui non culpa sua, sed injuria fortunæ ad paupertatem redacti bona sua cedunt, à squalore carceris liberentur, l. I. C. qui bon. ceder. poss. quod illic, cæteris paribus, moratoria dentur. v. Dn. BÖHMERI Diff. de liter. respirat. & quod ad asyla confugientes obæs alienum, sine culpa sua consumptum, inde inviti expelli nequeant. Conf. SCHWENDENDÖRF. Diff. de Privil. Mercat. c. 4. §. 7 - 10. Verum enim vero cum citar. l. 5. §. 3. non de omnibus promiscuè mercatoribus, sed tantum de negotiatoribus annonæ publicæ & naviculariū

Iariis agat, atque proin ut jus singularē extendi non debat, *allegat.* *l. Un.* de *Nund.* autem jaētatam vestigialium remissionem non probet, usus quoque & experientia heic reclameret, teste SCHWEDER O. *l. §. 16.* PFEFFINGER O. *c. l. p. 193.* *tit. c.* FRITSCHIO. *c. Tr. c. §. n. 4.* *sqq.* ac denique ea, quæ de fœibili cessionis beneficio adducta, pariter ac coetera jura laudata, non sint solis mercatoribus propria, sed aliis etiam debitoribus, sine sua culpa facultatibus lapsis, communia: hinc de illis, utpote ad tractationem nostram non pertinentibus copiosius differere merito supersedemus.

§. XI.

Progedimur potius ad jura singularia, quæ circa res mercatorum versantur, ubi primo loco observamus, securitatem, quam personis mercantium præstandam esse §. 7. & 8. asseruimus, non minus mercibus eorumdem deberi, casque pariter ab omni arresto ac represaliis immunes esse. *l. Un. C. de Nundin.* SCHWEDER. *c. l. §. 14.* modo tamen Imperans, ob justas causas, merces quasdam invehi vel evehi non prohibuerit, quales hodiè CONTRABANDO vocantur & sunt e. g. arma, & pulvis pyrius tempore belli, &c. de quibus latè HORNIVS in *Diss. Inaugural. de mercibus illicitis* commentatus est. Add. Clar. HEINECCI *Diss. de Navibus ob mer- cium illicitar. Vecturam commissis c. i.* Præterea publico mercaturæ bono in LLbus Imperii publicis cautum, ne ab Imperatore vestigalia nova mercibus imponantur, aut aliis talia concedantur, vel concessa augeantur ac prorogentur, nisi cum collegiali & quidem omnium Electorum consensu, ita ut nec majora vota heic sufficiant,

C

ciant, sed unanimia desiderentur, ac contra eos, qui sine legitima concessione nova telonia indicere audent, via facti procedere liceat. v. omnino Capitulat. CAROLI VI. art. 8. Dn. de HOREGARTEN in Diff. de Jure Vedigal. in Sacro Imp. Rom. Porro à juris communis ratione recedit, quod in locis, ubi commercia vigent, non modo tempus præscriptionis breviori plerumque spatio circumscribatur, e. g. Jure Lubecensi anno & die, sed & res furtivæ præscriptioni subjeceant, ita ut post annum amplius vindicari à Domino nequeant, sed possessoribus remaneant, nisi horum mala fides & scientia rei non bene quæ sitæ doce ri possit. Qualis disquisitio tamen in rebus publicè venalibus non admittitur, cum in ejusmodi rebus, quæ publicè venum exponuntur, omnis furti ac malæ fidei præsumtio absit. v. JVS. LVBECK. lib. 1. tit. 8. art. 1. ubi: Alles das Guth, welches in diese Stadt kommt, und ein Mann beh sich hat Jahr und Tag, mag er solches beweisen, so kan ihm das niemand mit Rechte ab gewinnen, oder vor gestohlen und geraubt Gut ansprechen. Add. MEVIVS ad b. 1. ubi n. 8. rectè asserit, rationem hujus dispositionis in commerciorum libertate & utilitate collocandam esse, cum mercaturæ maximè intersit, dominia rerum certa, certosque de iis possessores esse, aut qui de iis negotiari cupiunt, nec retractari, quæ publicè & bona fide accipiuntur. Tandem ratione mercium in prædium Urbanum illatarum singulariter receptum, illas pignori tacito haud quaquam sub jacere, cum non eo animo illatæ esse censeantur, ut perpetuo ibi essent, monente BRVNNEMAN. de Pro cess.

cess. Concurs. Cred. c. 5. §. 51. SCHWENDENDORF. c. 7.
c. 4. §. 11.

§. XII.

Transeo nunc ad ea, quæ intuitu conventionum inter Mercatores singulare jure introducta sunt. Quemadmodum enim commerciorum ratio maxime exigit, ut promissa inter negotiantes religiosissime serventur, & ubique inter eos bona fide agatur, cui, præcipiente VLPIANO in l. 29. §. 4 ff. mandat. haud quaquam congruit, de apicibus juris disputare: inde non immerito in mercatorum obligationibus aliquanto largius, magisque ex æquo & bono procedendum esse placuit. Hinc est, quod inter Mercatores expressio causæ debendi in chirographo præcise non requiratur. vid. RVNNE M. cent. 2. dec. 99. MARQVARD. de jure Mercatur. l. 1. r. 14. n. 11. idque juri naturali apprimè convenire ostendit GROTIUS de J. B. & P. L. 2. c. 11. §. 10. & 21. Quod & in Saxonia generaliter introductum est in omnibus instrumentis Guarentigianis in Append. O. P. J. E. N. §. 5. p. 303. Sic etiam inter mercatores ex stipulatione alteri facta, aliove contractu in alterius utilitatem inito, actio citra dubitationem tertio queritur. v. CARPOV. P. 2. c. 30. d. 34. n. 4. quod à regulis juris communis quidem abit. §. 4. & 18. J. de Inutil. stipulat. l. 11. ff. de Oblig. & Adion. l. 38. §. 17. ff. de verb. Oblig. æquitati tamen naturali consentaneum est. vid. GROTIUS c. l. §. 18. PVENDORF. de Jur. Nat. & Gent. l. 3. c. 9. §. 5. & ibi HERT. in annot. Quid? quod cum fides in mercatura exuberantior esse debeat, usi fere invaluit, ut inter mercatores verba bey Treu und Glauben juramento

C 2

æqui

æquipolleant, teste COTHMANN O Vol. I. Conf. 16.
n. 124.

§. XIII.

Ut vero, quid intuitu obligationum peculiariter inter negotiantes obtineat, eo patescat liquidius: posteriores Contractuum species paucissimis ex instituti nostri ratione, perlustrabimus. Ubi quidem primo loco se nobis offert contractus *muri*, quie jure Romano quidem gratuitus est, ita ut usuræ nullæ regulariter debeantur. *I. 17. ff. de Pall.* nisi stipulanti specialiter promissæ sint. *I. 3. C. de Usur.* inter Mercatores tamen plurimum sub fœnore iniri suevit, usque adeo, ut iis quoque maiores accipere usuras disertè permissum sit. *V. omnino I. 26. §. 1. C. de usur.* ubi: *illos verò, qui ergasteris presunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad bejem centesime usuraru. a nomine in quoevercunq' contratu suam stipulationem moderari.* Est quippe eorum professio, lucrum sequi, & hunc in finem otiosam servare pecuniam, aut ab aliis fœnori accipere. *NODT. de Fœnor.* *C. Usur. I. 2. c. 14.* Utut autem hanc juris Romani dispositionem hodiè ordinariè non attendi, & ne mercatoribus quidem maiores quicunque usuras adjudicari putet *CARPZOV. P. 2. c. 30. def. 2. MEVIVS ad J. Lübec. p. 3. tit. 1. a. 2. n. 15.* In plurimis tamen locis eandem adhuc servari experientia docet, nec ipsimet dissententur *ec. AA.* Quid? quod in Saxonia Electorali usuras dextantes, seu 10. pro 100., vigore Regii & Electoralis Mandati de Ao. 1702. inter mercatores permissas esse refert *HORNIVS c. I. II. resp. 96. circa f. Centesimas vero nullo jure petere posse mercatores, præjudici.*

judiciis confirmat RICHTER decis. 74. n. 16. exceptio tamen est in traectitis contractibus, in quibus pecunia datur trans mare vehenda vel alias per loca minus tuta transportanda periculo creditoris. Quia enim creditor periculum pecuniae, quod ad debitorem ordinario jure spectaret, ex pacto in se recipit, iniquum reputandum non est, si aestimatio hujus periculi majori usura compensetur. vid. c. l. 26. §. 1. Quo etiam pertinet inter Gentes Germanicas celebris Bodmeria, Bodmerij, quando scil. certa pecuniae summa navis patrono persolvitur, hoc pacto, ut salvâ navâ tantum cum fœnore reddatur, relicto interea sibi hypothecâ loco navigii fundo, quo perditio & sors interit, unde etiam heic centesimæ usuræ creditori conceduntur. v. s. C H O T - T E L. de singul. quibusd. & antiqu. in Germ. Jurib. c. 22. & ibi in supplement. GERICKEN. add. RADEMÎN. Dis- fert. de Bodmeria hab. sub Praef. BODINI Hal. 1697. De coetero quamvis filiisfamilias mutuum, quatenus datione pecuniae numeratae contrahitur, ob SCrum Macedonianum regulariter inire nequeant: secus tamen esse in filiisfamilias mercatoribus, ex iis, quæ §. 6. allata sunt, ultro consequitur.

§. XIV.

Quoad commodatum peculiariter contra juris com- munis regulas in multis Germaniae locis invaluit, com- modantem contra eum, qui rem commodatam à com- modatario venditam, donatam vel alio quocunque ti- tulo alienatam accepit, rei vindicatione experiri hand posse, sed actionem solum personalem contra com- modatarium ejusve heredes locum habere. vid. J V S

C 3

L V B E C.

L V B E C . P . 3 . t . 2 . a . 1 . ubi simul ratio additur: Denn
 Hand muß Hand wahren. quæ in sequente articulo 2.
 in f. adhuc significantius ita exprimitur: Dann do je-
 mand seinen Glauben gelassen, da muß er ihn wieder
 suchen. Idem JVRE HAMBVRGENSI art. 7. tit. 2. lib. 2.
 nec non Jure Saxonico v. Land-Necht lib. 2. art. 60. cau-
 tum reperitur, & quamvis CARPZOVI O P . 2 . Conf. 26.
 def. 5. hæc juris Germanici dispositio valde iniqua vi-
 deatur: illam tamen optima ratione niti, eaque in re
 commerciorum utilitati & securitati prospectum esse
 dudum agnoverunt alii. Si enim adversus quoscun-
 que superesset rei Vindicatio, timida & incerta foret
 mercium acceptio & inquisitio originis infinitas pare-
 ret difficultates, præterea examen dominii anterioris
 causa & occasio foret multarum litium, quibus nihil
 magis obstat vigori commerciorum. v. M E V . ad J . Lu-
 beo. c. art. 2. n. 5. 6. A M S E L . Diff. de Rationabilitate Ca-
 non. Jur. Lubec. Hand muß Hand wahren, hab. Regio-
 mont. 1698. Utut autem jam memorata juris Germani-
 ci sanctio ad mercatores præcisè non restricta, sed aliis
 civibus ac subditis communis sit: quia tamen merca-
 turæ ac commerciorum ratio eidem occasionem præ-
 buit, eam utpote à tractatione nostra non prorsus alien-
 am hoc loco retulisse absolum censeri non debet.
 Conf. MARQVARD. de jure Mercat. L . 2 . c . 8 . n . 84 . sequ.
 De coetero ea, quæ modo de commodato dicta sunt,
 intuitu depositi & pignoris quoque obtainere ex verbis ci-
 tatorum textuum luculenter patet. Add. MARQVARD.
 c. l . 2 . c . 9 . n . 27 - 31. C A R P Z O V . c . l . M E V . c . l . n . 10 . sqq .

§. XV.

§. XV.

Proximum est, ut, num exceptio non numeratæ pecuniae inter mercatores locum habeat, inquiramus. Qui adformativam amplectuntur sententiam, in eo potissimum se fundant quod pro jure communi tamdiu presumendum sit, donec exceptio ritè probata fuerit; hanc probationem vero heic deficere censem, cum nuspiciam mercatores à regula juris generalis hactenus exempti sint. Atque in eam sententiam concesserunt

LAVTERBACH. Exerc. 22. concl. for. 15. & in Compend. ff. p. 170. BRVNNEMANN. ad l. 5. C. de Non Num. Pec. RICHTER. Decis. 21. n. 23. BACHOV. ad Treutl. V. 1. D. 20. th. 2. lit. c. in f. TITIVS in Diff. de Putativ. Contr. literal. §. 39.

40. His tamen non obstantibus negativa nobis ve-
rior atque non æquitati solum, sed & juris Germanici
principiis convenientior videtur. Primum enim dicta
exceptio Non Numeratae Pecuniae de apicibus juris &
ita comparata est, ut cum dictamine juris naturalis vix
ac ne vix quidem conciliari queat, fatente ipsomet
TITIO c. l. §. 15-21. Add. HERT. ad Pufend. J. N. & G.
lib. 3. c. 6. §. 16. At vero ea, quæ de apicibus juris sunt,
inter mercantes non observari vulgo receptum, & su-
pra §. XII. monitum est. Accedit, quod fides nego-
tiatorum non parum periclitaretur, si reus oppositâ hâc
exceptione paratam posset executionem impedire, cum
tamen nullum exceptionis suæ fundamentum, nisi in-
fitionem suam alleget. Denique principiis juris Pa-
triæ in genere congruit, creditori, qui scripturâ debito-
ris nititur, probandi onus, pecuniam esse numeratam,
haud quaquam imponi, sed debitori potius de non fa-
cta

Et a numeratione excipienti probationem incumbere.
 HERT. de Paræm. Jur. L. 1. par. 27. BEYER. Pos. ad ff. de
 Reb. Cred. p. m. 245. sequ. quod licet multis in locis amo-
 re juris peregrini usu non servetur, inter mercatores ta-
 men custodiri par est: Et ita sentiunt BERLICH. P. 2.
 dec. 294. CARPOV. P. 1. c. 32. def. 99. 70. quorum sen-
 tentiam in plerisque locis mercatorii receptam esse
 testatur STRYK. ad Lauterb. c. l. add. SCHILTER. Exerc.
 ad ff. 22. §. 32. WESENBECK. Consig. n. 23.

§. XVI.

Inter contractus consensuales, de quibus modo
 agendum, primo loco se offert *Emissio Venditio*, circa
 quam haec maximè singularia quoad mercatores occur-
 runt; Scilicet 1) perfectus inter illos censetur hic con-
 tractus, etiamsi de pretio, quod alias est de substantia
 ejus, non fuerit facta expressa mentio, modo de re
 emta vendita constet. MARQVAR D. de *Jure Mercat.* l. 2.
 c. 9. n. 38. 2) Actioni redhibitoriae & æstimatoriae, quæ
 ob res vitiosas venditas jure communi competunt, in-
 ter mercatores non facile locus est. Sic e. g. JVS LV-
 BECK. P. 3. t. 6. a. 11. disponit, si in panno vendito atque
 tradito reperiatur ruptura, venditorem ad supplendum
 damnum non teneri, modo juramento asseveret, se ta-
 le vitium ignorasse. Et JVS HAMBVRGENSE L. 2. t. 8.
 art. 17. adhuc latius venditionum securitati prospexit,
 dum de nullo vitio vult teneri venditorem ob merces
 publicæ venditas. v. BEYER. Pos. *Jur. Germ.* l. 1. c. 14. n. 18.
 Porro 3) mercatores actionem venditi moyentes mer-
 cis vendite partem, usque dum pretium solvatur, re-
 ste retinent, cum è contrario alii venditores non mer-
 catores

catores cum effectu agere non possint, nisi ipsi prius
contractum omni ex parte impleverint. BEYER, c. l. n.
19. Add. MARQVAR D. c. l. n. 40. sequ.

S. XVII.

Succedit contractus locationis conductionis, inter mercatores longè frequentissimus, ubi primo observandum, quamvis de jure communi nemo prohibeatorem, quam conduxit, alii iterum locare, ab hac licentia tamen mercatorum merces communiter excipi, arg. I.
32. §. 2. ff. de usufr. leg. MARQVAR D. de J. Merc. l. 2. c.
10. n. 6. Deinde occasione negotiationis in primis maritimæ hic contractus sœpe initur e. g. inter mercatores qui pecunias vehendarum mercium causa dant, die Beschrifte, Fracht, Herrn, & Magistrum navis, itemque inter Magistrum navis & nautas, nec non inter magistrum navis & exercitores, quales contractus singulari quodam jure & observantia nituntur, e. g. quod magister navis non solum sciente & paciente exercitore, verum etiam ignorantे & prohibente eo, aliud substituere queat: eosque enim producenda est utilitas navigatorum. l. i.
§. 5. ff. de Exercit. Action. Plura habet MARQVAR D. c. c. 10. Porro intuitu contractus societatis, mercatoribus maxime solennis, jure singulari constitutum est, socios, etiamsi non universorum bonorum sœci sint, sed unius rei, in id solum, quod facere possunt, quodve dolo male fecerint, quo minus possint, condemnari oportere; societas enim ius quodammodo fraternitatis in se habet, ait VLPIANVS in l. 63. ff. pro soc. Et quanquam alias jure communi correalis qualitas sine voluntate contrahentium non constituatur, l. 9. C. si cert. perat, in sociis tamen peculiariter obtinet, quod pro correcis cre-

D

dendi

dendi & debendi habeantur, & ita singuli in solidum non solum obligentur, sed & singuli solidum exigere queant. Per contractum quippe societatis una quasi persona effecti sunt, prout recte rationes subduxit TITIVS in obs. Lant. 494. § 496. add. CARPZ. P. 2. c. 17. def. 12. PERETZ in C. de duob. Reis n. 17. MEVIVS ad Jus Lubec. L. 3. t. 9. a. s. n. 4. squ. qui perpetram ab aliis inter dissentientes referri videtur. Quo pertinet, quod si plures mercatores navem exercant, ex contractu cum magistro navis initio singuli in solidum conveniti possint. I. i. §. f. § l. 4. §. 1. ff. de exercit. action. & quamvis GROTIUS de J. B. § P. 1. 2. c. 11. §. 13. hoc ipsum naturali aequitati non satis convenientem existimet: ejus tamen rationibus abunde satisfecit ZIEGLER ad Grot. c. 1. Nec aliud de pluribus negotiatoribus, qui unum institorum negotiationi communi praeposuerunt, dispositum est in l. 13. s. f. § l. 14. ff. de Instit. act. Denique ratione Contractus Mandari horandum, singulari & mercatoribus proprio jure invaluisse, commendationes eorum, utut illae regulariter nullam inducant obligacionem, pro vero mandato habendas esse. CARPZ. P. 2. c. 18. d. 24. Et quamvis porro mandatum regulariter gravatum sit, in curia tamen Mercatorum non insolens est, mandatario negotiorum sibi commissum exequenti, provisionem, h. e. mercedem ac stipendium laboris solvi. Conf. MARQVARD. c. Tr. l. 2. c. II. n. 62. sqq.

§. XVIII.

Quoniam vero sepe accidit, ut mercatores pro aliis fidem suam interponant ac fidejubeant; hinc commerciorum gratia, & quo liberius esset eorum usus, peculiariter receptum est, mercatoribus ejusmodi fidetibus juben-

jubentibus beneficium excusonis nullo modo conti-
petere, teste GAILIO l. 2. Obj. 27. n. 27. CARPOVIO
P. 2. Cons. 18. d. 7. MEVIO ad J. Lubec. P. 3. tit. 5. a. 1. n. 9.
sqq. eo quod semper tacita ejus renunciatio intervenisse
præsumitur, cum mercatorum maximè intersit, pecu-
niam in prompta habere, ne fides eorum ulla ratione
periclitetur. Præterea memoratu dignum est, fœmi-
nas mercatrices, ubi pro maritis in negotiis & contra-
ctibus ad mercaturam spectantibus intercesserunt, va-
lide obligari, nec ad AVTENT. si qua mulier C. ad SC.
Vellej. provocare posse, tradente MEVIO ad Jus Lubec.
P. 1. t. 5. a. 7. n. 101. sqq. Quid? quod conjuges com-
munem negotiationem exercentes pro se invicem, et
iam citra casum fidejussionis teneri, & non modo ma-
ritum pro uxoris, verum quoque uxorem pro mariti
debitis favore commerciorum obligari, usu multorum
locorum invalidit. MEV. P. 2. dec. 206. § P. 3. dec. 123. n.
10. GAIL. l. 2. Obj. 90. n. 5. sqq.

§. XIX.

Cambia in utilitatem commerciorum potissimum
introduceda & cum iis multa singularia inventa esse, ne-
minem nisi omnium rerum valde ignarum latere pu-
to. Quamvis vero eorum usus ad alios etiam non
mercantes transierit, ita ut regulariter omnes, qui cam-
biales literas exposuerunt, nisi specialiter exempti sint,
rigori juris cambialis, in locis, ubi hoc receptum, subesi-
se censeantur. v. Leipz. W. O. s. 1. Magdeb. W. O.
v. l. eamque ob causam ab instituti ratione alienum
videatur, si in percensendis hisce singularibus, ad mer-
catores solos non amplius pertinentibus, multis ver-
bis

bis commorari vellemus: quoniam tamen intuitu cambiorum multa adhuc concurrunt, quæ negotiatoribus propria sunt, nec ad alios trahi possunt; illa paucis adhuc tetigisse operæ pretium fuerit. Quo in primis referri meretur, quod nonnunquam *contra mercatores* juxta rigorem juris cambialis procedatur, etiamsi illi nullas literas cambiales creditorí suo dederint, quemadmodum e. g. in Saxonía Electorali in Mandato de anno 1683., quod in *Ord. Proc. Recognit. Append. n.XVI.* p. 142. extat, statutum est, si cui merces quasdam ementi fides de pretio habita fuerit, teneri eum Venditori desideranti chirographum, *ein Billet oder kurze Handels-Obligation*, tradere, & in eo confiteri, quid debet, & quo tempore solutio facienda sit, illoque casu contra cintorem, si sit mercator, secundum juris cambialis rigorem, nach Wechsel-Recht, procedi debere. Sic præscriptio literarum cambialium transatarum menstrua, & propriarum annalis, quæ Lipsiæ, Magdeburgi & alibi obtinet, ad solos mercatores spectat, utpote qui, si elapsò hoc præfinito tempore conveniuntur, exceptione præscriptionis juvantur, cum cambia tūm pro solutis reputentur. Nihil autem interesse putamus, utrum eterque & actor & reus, an vero solus reus mercatoriaæ qualitatis sit: quod si vero actor solum mercator, reus vero hac qualitate destitutus sit, dicam exceptionem præscriptionis huic non compete-re existimamus. *Conf. KÜSTNER. de Mensura & annali Præscript. literar. cambial. §. 20. squ.* Nec minus inter mercatores peculiaris modus dationis in solutum quo ad literas cambiales obtinet, quem scontrationem vocant,

cant, quæ vim assignationis plenæ habet, probaturque libris mercatorum, quos Scontro-Bücher appellant, quibus, si duo saltem ex illis quoad unam causam conveniunt, plena fides habetur, adeò ut nec juramento suppletorio illos confirmare opus sit. *vid. LVDOVICI Wedsel Proces s. 11. §. 48. sqq.* ubi passim plura alia adhuc deprehendere licet.

§. XX.

Quandoquidem vero supra §. II. etiam foeminas inter illas personas retulimus, quæ, si coetera paria sint, iuribus mercantium frui possunt: hinc, quæ illarum intuitu singulariter obtineant, deinceps expendendum est. Sicut autem jam §. XVIII. monuimus, foeminas mercatrices pro maritis intercedentes ad beneficium Avtent. si qua mulier. confugere haud posse: ita multo magis dicendum, talem foeminam pro extraneo intuitu mercaturæ fidejubentem efficaciter obligari, adeò ut nec renuntiare SCto Vellejano necesse sit. Mercaturæ quippe ratio illud postulare videtur, ut ei operam navantes fidem suam limitare nequeant. *v. IUS LV-BEC. P. 1. t. 10. a. 1. ibique M EVIVS n. 76. squ.* Porro licet foeminae ex statutis plurium locorum in Germania curatore regulariter opus habeant, sine cuius auctoritate validè non contrahunt: tamen necessitas adhibendi curatorem mulieribus mercatricibus utplurimum remissa est, haec tenus, ut actus forenses & ad mercaturam pertinentes, citra curatorem utiliter suscipere & cum effectu contrahere queant. *M EVIVS c. 1. n. 57. squ. & P. 3. t. 6. a. 13. n. 2. EVER. OTTO de Perpetua fœmin. tuse. c. 2. §. 12.* in tantum ut si coëmendarum mer-

D 3

cium

ciuum gratia mutuam forte pecuniam acceperint, non modo in securitatem creditorum bona sua, etiam immobilia, valide hypothecare absque consensu curatoris possint. CARPOV. P. 2. c. 15. def. 16. sed etiam nomina mulierum activa, imo & ipsa gerada in Saxonia, ea propter arresto detineri queant. ZIPFEL de Tesseris Collyb. S. 7. §. 20. Num vero foeminae mercatrices literas cambiales creditoribus suis cum effectu rigidæ obligationis juxta jus cambiale dare valeant, à multis quondam dubitatum est. De dissensu, qui inter Collegia Juridica Saxonica hac in parte olim fuit, testatur RIVINVS in specim. Except. Forens. c. 8. n. 4. squ. Scabini quippe Lipsienses rigorjuri cambialis locum non esse contra foeminas censuerunt: At Wittebergenses & Jenenses in contrariam iverunt sententiam, quæ post varias mutationes tandem à Serenissimis Electoribus Saxon. confirmata est, ita ut mulier mercatrix cambians in negotio cambiali ne curatore quidem opus habeat, nec de beneficiis & juribus suis specialiter certiorari debeat. v. Leipz. W. O. §. 2. cum qua dispositione aliorum locorum statuta etiam convenient, prout pluribus exequitur LUDOVICI in Diff. de muliere cambiante.

§. XXI. jo regnologo cholesco
Restat ut paucis adhuc, quænam intuitu judiciorum & processus quoad mercatores singulariter constituta sint, indagemus. Ubi quidem primo loco commemorandum, causas mercatorum in peculiari plerumque foro tractari, adhibitis negotiatoribus peritis, &c, prout A. UN. C. de Monopol. loquitur, professionis hujus primatibus, quemadmodum e. g. Lipsiæ proprium aliquod

quod judicium, quod das Handels-Gericht vocant, eo fine ordinatum esse deprehenditur. De aliis locis, ubi idem obtinet, conf. LUDOVICI in Wedsel-Proces c. 5. Sic Hamburgi peculiare judicium, in quo causæ ad negotiationes maritimas pertinentes discutiuntur, institutum, quod judicium Admiralitatis appellant, de quo fuisse egit WERLHOF. in Diff. de Judicio Admiral. Hamburg. Et Ratisbonæ ex privilegio Friederici II. Imp. proprius Magistratus & judex eligitur, qui de litibus, mercaturam & negotiis fiundinarum concernentibus, cognoscit, quem *Hansgravium* nominant, à voce *Hansa*, quæ societatem, uti supra §. 3. jam ostensum, & quidem hoc loco commerciorum gratia institutam indicat, & *Grave*, quæ judicium, prisco Germanorum styllo, designat. vid. PFEFFINGER. ad Vitriar. T. II. p. 605. & p. 83. STRUVII Synt. Jur. Publ. c. 20. §. 40. p. 931. In hoc vero foro causæ negotiantium summarie, remotis solennibus processualibus, de simplici & plano tractantur, & perinde ac in foro ecclesiastico, i. e. non inspectis juris apicibus proceditur, docente MERIO ad Jus Lub. P. 3. t. 6. a. 21. n. 3. In specie autem, quomo^ddo in Curia mercatorum Lipsiensi causæ mercatoriae agi debeant, ex Ordinatione eam in rem anno 1682. publicata, der Handels-Gerichts-Ordnung, discere licet, quæ novissime, paucis solum exceptis, a Potentissimo Rege Polonie & Electore Saxoniae confirmata est. v. Ord. Proc. Nov. in Append. §. 2. p. 301. Summam ejus post alios exhibit PEYER. in Pos. f. Germ. l. 1. c. 14. §. 25. Nos potiora solum, quæ & extra Saxoniam usum habent, delibabimus.

§. XXII.

§. XXII.

Scilicet libellus alternativus, licet regulariter pro inepto habeatur, in causis mercatorum tamen non rejicitur. LAVTER. Comp. ff. p. 41. CARPZ. P. 1. c. 2. d. 10. Dn. BÖHMER. de libell. alternat. c. 3. §. 19. solemnis quoque litis contestatio heic planè non requiritur. BARTOL. ad l. 29. §. 4. ff. mand. Quoad probationem status unius testis dicto, in primis si alia adhuc adminicula concurrant, MEV. ad Jus Lubec. c. l. n. 3. MARQVARD. de Jure Mercat. l. 3. e. 9. n. 8. quo etiam referri debet, quod si documenta peregrino idiomate conscripta producantur, illa ad interpretarem, transponendi ergo, mitti, ejusque transpositioni, modo ille sit persona bonæ fidei & juramento obstricta, plena fides tribui soleat. v. LOHSII Disp. sub Präsid. B. MEYERI Erford. hab. de Uno Teste plene probant. §. 6. Quinimo libri mercatorum necessariis requisitis instructi etiam pro mercatoribus semiplenè probant, & juramento suppletorio locum faciunt, quamvis non nisi scripturam privatam contineant, id quod à juris communis ratione tanto magis abit, quo certius est, instrumenta domestica seu privatam adnotationem adprobationem regulariter non sufficere l. 5. C. de Prob. cum exemplo perniciosum sit, ut ei scripturæ credatur, quâ unusquisque sibi adnotatione propriâ debitorem constituit. Unde neque fiscum, neque alium quenlibet ex suis subnotationibus probationem debiti præbtere posse, expressis verbis disponitur in l. 7. C. Eod. Evidem non ignoror, nonnullos dictam probandi efficaciam, quæ libris mercatorum tribuitur, ex jure Civili, & quidem argumentis ab argentariis & nummulariis

mulariis horumque libris petitis conari deducere: v. l.
 4: pr. & l. 10. pr. ff. de edend. Verum enim vero cum
 diversa sit nostrorum mercatorum & argentariorum
 ratio, nos eandem ex moribus Germaniae tantum non
 universalibus derivare malumus cum FINCKEL THV-
 SIO obs. 79. & STRYK. in U. M. ff. de Fid. Instrument. §. 7.
 Non tamen aliter mercatorum libri semiplenè pro-
 bant, quam si sequentibus requisitis constant. Nimi-
 tum I) Mercator debet esse integræ famæ & vitæ,
 cum fides horum librorum à fide scribentis potissimum
 dependeat. Interim sicut quilibet ordinariè bonus
 præsumitur, donec malus probetur: ita eandem præ-
 sumptionem pro mercatore militare putamus. De cœ-
 tero nihil interesse censemus, utrum propriâ ipsius
 mercatoris, an vero solum institoris manu liber mer-
 catoris conscriptus sit, juxta tradita CARPOVII P. 1.
 c. 17. d. 35. n. 8. 9. Deinde II) requiritur, ut talis liber
 legitimè ac justo ordine confessus sit, nec alio defectu
 labore. Unde confit a) mercatorum adversaria seu
 diaria, die Jornale, das Glitter-Buch, memoratam
 probandi vim non habere. STRYK. c. l. §. 9. quippe
 quæ non ritè ordinatèque componi, sed omnia confu-
 se illis inscribi consueverunt. Nec b) cœteros mercato-
 rum libros ullam fidem mereri, si quædam ibi deprehen-
 dantur à veritate aliena & falsi arguenda, aut c) si quæ-
 dam manca, mutila nec facile intelligibilia in iis repe-
 riantur, vel d) si data & accepta, aut e) annum & diem
 non contineant, vel denique f) causam debendi ex-
 pressam non habeant; quod postremum ideo requiri
 videtur, ut eò liquidius constet, an ex causa mercatu-
 ram

ram respiciente debeatur: probandi quippe potestas mercatorum libris adscripta ad alia non pertinet, quam quæ mercaturam concernunt, unde extra istam inscripta, nisi aliunde probari queant, fide carent. M E V. p. 1.
dec. 241. n. 12. S T R Y K. c. l. §. 10. Denique III) necesse est, ut causa non adē magna sit, cum generaliter in causis arduis & majoribus suppletorio juramento non facile locus relinquatur. Conf. omnīd B R V N N E M. Proc. Civ. c. 19. n. 4. S T R Y K. U. M. c. l. M E V. ad J. Lubec. P. 5.
t. 6. a. 4. & qui plenissimè hoc thema excusfit, K L E I N I U S. in D i s. de Prob. quæ fit per libros mercatorum, c. 2. Ea vero quæ hucusque dicta sunt de libris mercatorum, eorumque semiplenè probandi efficacia, in Saxonia Eleitorali juxta Ordin. Proc. Recogn. tit. 30. §. 4. in eo solum casu procedunt, si uterque & actor & reus mercaturam exerceat: alioquin purgatorio solum, vel si alia adhuc adminicula adsint, suppletorio & quidem quoad causam ipsam principalem locus relinquui debet. Ceterum si mercator prius decedat, quam librum juramento confirmet, ejus libro tunc plenissimam fidem etiam sine jurejurando haberi, nec præterea quid requiri putant G A I L. l. 2. Obs. 43. n. 6. M A R Q V A R D. c. Tr. l. 3. c. 9.
n. 40. M E V. Conf. 53. n. 49. & ad J. Lubec. c. l. n. 30. quod & statutis Hamburgensibus expressè ita sanctum est. Quamvis alibi & præsertim in Saxonia, heredes defuncti mercatoris juramentum suppletorium credulitatis adhuc præstare teneantur. C A R P Z. l. 6. Resp. 121. § in Process. Tit. 14. art. 5. n. 75. B E R L I C H. P. 1. concl. 36. n. 42. L Y N K E R. decis. 583. Memoratu dignum tamen est, quod in locis quibusdam mercatorum libris legitimè;

&

& ut antea dictum, instructis, generaliter & indistincte plena etiam fides tribuatur, quod alibi e. g. Jure Lubencensi eo casu, si summa debita triginta marcas non excedat, pariter factum, quoad summas maiores vero semiplena solum probatio illis adscripta est. v. M E V . c . l . S T R Y K . c . l . § . 8 . Tandem in causis mercatorum, præsertim cambialibus non facile appellare licet v. N . A . 1654. I . Wls auch 107. MARQVARD . c . Tr . l . 3 . c . 11 . n . 12 . & si vel maximè appellatio ex causis probabilibus admittatur, illa tamen effectu suspensivo non gaudet. M E V . P . 9 . dec . 133 . n . 9 . & 10 . Quoad foeminas mercatrices unicum singulare addimus, quod, quamvis illæ reguliter à postulando penitus arceantur. l . 1 . § . 5 . ff . de Po-
stul . in foro tamen mercatorum & quoad causas mercaturam respicientes admittantur, teste S T R Y K I O in Annot . ad Lauterb . de Postul . v . Fæminæ p . 120 .

S. XXIII.

Plura, fateor, in medium proferri potuissent jura ratione mercatorum singulariter introducta. Sed instituti, brevitatisque mihi propositæ memor vela heic contraho, & Lectorem Benevolum ea, quâ decet, observantia rogito, velit conatibus meis juvenilibus non solum favere, sed etiam ea, quæ forte parum accurate dicta sunt, benevolè emendare, omniaque in meliorrem partem interpretari. Quod reliquum est, DEO Ter Optimo Maximo pro collatis in me beneficiis insignibus devotissimas ago gratias, atque, ut post hac etiam studiis meis benedicere velit benignissime, toto peccatore precor.

T A N T V M .

CO-

COROLLARIA.

- I. Status Imperii in Territorii suis LL. condere possunt, et iam juri communii contrarias.
- II. Collegia opificum, nisi cum consensu Principis expresso vel tacito, antecedente vel subsequente, statuta ferre negantur.
- III. Retractus provincialis optima ratione nititur.
- IV. Predium contra statutum in extraneum alienatum revocari potest, nulla præscriptione nisi immemorali obstante.
- V. Retractus gentilitius regulariter cedi non potest.
- VI. Fraires germani querelam inofficiosi testam. non contra quoscunque heredes scriptos, sed solum contra infames vel levis notæ macula laborantes instituere queunt.
- VII. Legitima non est juris naturalis, nisi quatenus habet rationem alimentorum.
- VIII. Legatum rei alienæ Fur. Can. non validum est.
- IX. In delegatione, ut animus novandi exprimatur, necesse non est.
- X. Pacta successoria in Germania valida sunt.
- XI. Transactio ob enormem lesionem jure Romano rescindi nequit.
- XII. Consensus tacitus cum præsumto perperam confunditur.
- XIII. Distinctio Jurisdictionis in superiorem & inferiorem ad ecclesiasticam male refertur.
- XIV. Prorogatio Jurisdictionis etiam hodie quoad causas quasdam singulares fieri potest, non vero in universum.

M 10 10 PEC A T

ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle
003 749 266

3



TA-70L



1730, 30
M-31

DISSERTATIO IN AVGURALIS JVRIDICA,
DE JVRE MERCATORVM
SINGVLARI,

QVAM,
DEO AVSPICE
AVTORITATE ET CONSENSV
CELEBERR. IN INCLYTA ERFORDIENSI ACADEMIA
JCTORVM ORDINIS,
SVB PRÆSIDIO

DN. ERNESTI TENZELII, JCt.
EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIP. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
JVDICII PROVINC. AC FACVLT. JVRID. ASSESS., EJVSDEMQVE H. T. DECANI,
NEG NON CIVITATIS CONSULS PRIMARI,
PATRONI ET PROMOTORIS SVI ÆTERNVM
DEVENERANDI,

PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME
CONSEQVENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SUBMITTIT,
JOH. ZACHARIAS HARTVNG,
Erfurt.

IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.
DIE XXV. AVGUSTI ANNI M DCC XXX.

ERFORDIAE, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.